

rere debent. Nempe quoniam latinis Sacramenta administranda sunt more latino, vult R. P. ut cum graeci in casu necessitatis latinos absolvunt, utantur forma latina. At formam deprecativam in se spectatam Clemens non improbat, nec dicit ipsis graecis adhibitam invalidam esse; id vero, si res ita esset, debuisset dicere Clemens, quia agebatur in ea instructione de instruendis presbyteris graecis catholicis super rebus etiam ad Sacramenta spectantibus scitu necessariis, praesertim cum Clemens sciret presbyteros graecos catholicos suis sacramentum poenitentiae hac forma administrare, ipseque in eadem Instructione permittat graecos presbyteros catholicos institui parochos in Ecclesiis graecorum. Quemadmodum ergo vetuit ibidem ne huiusmodi graecis hominibus permetteretur dissolutio matrimonii, quod graeci solebant ob causam adulterii, ita quoque prohibuisset usum iisdem huius formulae, si eam per se repugnare censuisset naturae sacramenti. Contrarium tamen ex eodem decreto evincere studet Simmonet Inst. Theol. Tract. XV. Cf. et Thesaurum Zaccariae Tom. XI. p. 483.

VII. Si vero rerum naturae spectentur, qui tuentur valere quoque per se formam deprecativam, ita arguunt. Nempe quid tandem postulatur ab adversariis? hoc unum, ut verba adhibita a ministro significant effectum potestatis clavium, eumque ut ab ipso ministro procedentem, ipse est enim qui absolvere debet; significandum est igitur per verba, quod ipse minister ea proferens, est qui absolvit. Atqui id satis significatur etiam per formam deprecativam. Nam deprecatio, quam iudex delegatus profert causa cognita, sententiam continet ipsius iudicis, exprimitque voluntatem quam habet absolvendi, seu voluntatem ut poenitens absolvatur a Deo per ministerium suum. Ideo spectata significatione ea forma huic aequivalet: *Deus te absolvat per ministerium meum*, quam et adversarii valere concedunt.

Cum igitur duae causae intercedant in absolute peccatoris, Deus causa princeps, homo causa ministerialis, per formam indicativam *Ego te absolvo* causa ministerialis explicite significatur; sed simul, propter naturam actus, implicite causa quoque princeps significatur, quia verba *Ego te absolvo* sunt contractio horum: *Ego iudex delegatus a Deo eiusque auctoritate te absolvo*; auctoritas proinde Dei, qua agit Sacerdos per ea verba *Ego te absolvo* significatur. Per formam vero deprecativam *Deus te absolvat*, *Deus remitte huic* explicite causa princeps significatur; implicite vero causa ministerialis significatur, quia Deus non absolvit nisi per ministerium sacerdotis; quod ministerium Sacerdos in actu exercito simul exhibet, sententiam proferens, quam continet deprecatio ex potestate iudicis

prolata. Et sane nonne verba Sacramentalia efficiunt causalitate morali? At haec causalitas integra est et repraesentatur in huiusmodi formula deprecativa.

Dices formam talem esse debere ut quamvis quoad efficaciam efficax non sit nisi ab idoneo ministro prolata, tamen quoad significationem idem significare valeat a quocumque proferatur: qualis est haec forma: *hoc est corpus meum* pro Eucharistia, et haec *indulgeat tibi Deus* etc. pro extrema unctione. Atqui forma deprecativa eatenus significat quod significare debet, quatenus a sacerdote profertur; ergo.

Respondent 1) posse simpliciter negari quod assumitur: nam cum forma sit pars Sacramenti et non nisi in Sacramento vim suam exercere possit, satis profecto est quod cum cetera adsunt elementa, ipsa significet. Porro ex doctrina Eugenii IV in decreto pro Armenis « Sacramenta tribus perficiuntur videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri cum intentione etc. ». Satis est ergo ut, cum haec tria adsunt, verba sint significativa; praesertim cum, quamvis forma sit pars determinans prae materia parte determinabili, tamen et ipsa forma in composito determinetur. Non est autem necesse ut omnia Sacramenta in omnibus sint similia.

Respondent 2) distinguendo idem assumptum: forma debet esse talis ut ex se a quocumque proferatur, valeat significare quod in Sacramento significandum est, *conc.* vel *trans.* id unice significet, *neg.* Porro nemo negabit formam hanc: *Deus te absolvat* posse significare sententiam iudicis delegati a Deo, et non tantum simplicem deprecationem, eamque proferri a quocumque, licet ineffaciter, ea intentione ut per ipsum ministerium proferentis ea verba quis a Deo absolvatur. Sic iuxta plurimum sententiam sufficiunt haec verba: *Absolvo te*, omissis aliis: *a peccatis*: et tamen absolutio potest esse a censura quoque; est ergo locutio per se indeterminata, unde autem determinatur? ab adiunctis scilicet, in actu iudicii, in quo de peccatis actum est. Sic pariter haec verba *Deus te benedicat* possunt habere hanc significationem *Deus per ministerium meum te benedicat*; unde habentibus auctoritatem benedicendi usurpantur indifferenter loco aliorum verborum: *Ego te benedico*.

Respondent 3) formam deprecativam non eatenus determinari ad significandum exercitium potestatis quatenus tantummodo a Sacerdote profertur, sed quatenus profertur a Sacerdote cognita causa, nam ut videbimus, confessio peccatorum necessaria est: sunt ergo verba prolata in iudicio; et tunc si verba sunt, quae possint sententiam iudicis significare eiusque potestatis exercitium, sponte et naturaliter trahuntur ad id significandum.

VIII. Argumenta rursus eorum qui pugnant pro sola forma indicativa, haec sunt, supposito quod ex praxi antiquae Ecclesiae nihil colligi possit, ut ipsi se probasse censent. 1° Sacramentum Poenitentiae ad modum iudicii institutum est et forma Sacramenti, quae sunt verba Sacerdotis, significare debet id quod facit: porro iudex reapse absolvit, non orat ut alius absolvat: ergo verba exprimere debent sententiam absolventis, ideoque et afferri modo indicativo. 2° Concilium Tridentinum Sess. XIV. ep. 3. docet formam Sacramenti Poenitentiae positam esse in illis ministri verbis; *Ego te absolvo* etc.; subdens praeterea « quibus quidem de Ecclesiae Sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant ». Ex his autem duplex colligitur argumentum. 1° Concilium opponens verba *Ego te absolvo* precibus, ipsa verba considerat prout sunt forma indicativa; cum ergo doceat in iis formam Sacramenti positam esse, docet formam indicativam ad essentiam Sacramenti spectare; et quia essentiae Sacramentorum sunt immutabiles, docet quoque eandem formam semper spectare ad essentiam Sacramenti et ideo dicendum est argumentum historicum ductum ex praxi Ecclesiae vitio laborare. 2° argumentum. Cum Synodus dixit *de Ecclesiae more preces addi*, ob oculos habuit eas orationes et formas deprecativas, quae in poenitentialibus etiam antiquis continentur, phrasim enim haec *de Ecclesiae more* non aliquam tantum recentem consuetudinem sed et antiquissimam significat; ergo iuxta Tridentinos Patres eae formae deprecativae neque sunt neque olim fuerunt forma absolutionis.

Porro adversarii negato in primis eo supposito, respondent ad 1° significari actum absolutionis seu sententiam iudicalem forma quoque deprecativa *potestativa*, ut declaratum est. 2° Ab auctoritate Tridentini ita se expediunt. Ad primam argumenti partem sic respondent. Concilium definiens formam Sacramenti positam esse in verbis *Ego te absolvo* etc. non exclusit formulas aequivalentes. Adversarii contendunt quidem huiusmodi esse eas tantum, quae indicativo modo proferuntur; at alii, ratione habita praxis antiquae Ecclesiae, dicunt generatim esse eas, quae actum iudicalem, seu sententiam iudicis continent et manifestant, quemadmodum clarissime ea manifestatur verbo *Ego te absolvo*. Quocirca non consentiunt s. Alphonso (De Sacram. Poenit. n. 430), dicenti quod « quidquid sit de hoc (nempe de hac quaestione historica) hodie certum est et de fide debitam formam esse indicativam, ut declaravit Tridentinum sess. 14. c. 3. etc. ». Si enim cum dicit *debitam formam*, τφ debitam intelligit iure divino essentialem, negant Tridentinum declarasse formam indicativam prout talem esse essentia-

lem, sed declaravit essentialem eam formam prout est expressio actus iudicialis et simplici deprecationi opponitur. Si vero τφ debitam intelligit eam, quae ex praecepto Ecclesiae adhibenda est, negant quod est huiusmodi spectare ad fidem; nam illud est mutabile et ab Ecclesiae auctoritate originem ducit, hoc est immutabile Divinae auctoritati innixum: etsi de fide sit potestas Ecclesiae condendi has leges.

Itaque preces quibus forma absolutionis opponitur, dicunt esse preces, quae sint simplices deprecationes, non *practicae*, h. e. citra intentionem practice efficiendi quod significatur prolatae, cuiusmodi sunt eae, quae adhibentur ab illis, qui utuntur forma indicativa eaque absolvere intendunt. At forma deprecativa cum intentione absolvendi prolata est practica et sacramentalis.

Ad alteram partem argumenti respondent: α) Synodus Tridentina loquitur, ut iam monuerunt, de precibus, quae sint simplices deprecationes, quarum scopus est impetrare a Deo gratiam ut poenitens ad accipiendam absolutionem sit dispositus. β) Mos Ecclesiae in iis, quae liberae dispositioni ipsius relictae sunt, non est necessario antiquissimus, cum novas consuetudines possit in huiusmodi rebus Ecclesia introducere; potuit ergo Synodus Tridentina dicere *de Ecclesiae more*, etiam si a seculo XIII hic usus ceperit. γ) Reapse et cum in usu erat forma deprecativa, orationes quaedam adhibebantur, quae erant simplices deprecationes nullatenus necessariae ut absolutio data censeretur. In formulis enim quamvis deprecativis mentio generatim fiebat potestatis solvendi et ligandi, remittendi et retinendi collatae Sacerdotibus a Christo, quibus tamen aliae orationes addebantur. Cf. Tournely De Sacram. Poenit. q. IX.

Rursus quoad formulam deprecativam: *absolvat te Christus*, perpendere licet iudicium doctissimi Theologi. Nam Dominicus Soto in IV. D. III, q. unic. a. 5. respondet: « In Sacramento Poenitentiae licet quis diceret: *absolvit te Christus*, vel *absolvat te*, vere absolveret, quamvis peccaret. Nam et forma extremae unctionis est: *indulgeat tibi Deus* etc. In summa si expressio solius ministri sufficit, ut exercentis actum: *ego te baptizo*, cur non sufficiat expressio Christi qui per suum ministrum baptizat?

IX. Nec minimum robur huic sententiae forte accedit ex sequente animadversione. Theologi scilicet olim validam existimabant formam baptismi penes graecos, quam, ex errore quidem, credebant afferri modo imperativo vel deprecativo. Cf. Toletum in 3. p. q. LXVI. a. 5. Ita quoque Eugenius IV in Decreto pro Armenis, post recitatam formam latinorum, subdit (cf. Mansi Concc. post Conc. Florent.) « Non tamen negamus quin et per illa verba: *ba-*

ptizetur talis servus Christi in nomine P. et F. et Sp. S. vel baptizatur manibus meis talis in nomine P. et F. et Sp. S. verum perficiatur baptisma ». Ita hanc partem decreti praeter editiones Conciliorum, legit Arcudius in Concordia L. I. De Baptismo c. 8. et Nicolaus Isambertus in 3. p. ad q. 66. Disp. 4. a. 4. Tournely De Sac. Bapt. q. I. a. 4. aliique. Ita quoque s. Thomas refert formam graecorum modo deprecativo vel imperativo *baptizetur* etc. l. c. quin eam improbet (cf. eius veteres editiones; nam e recentioribus, cuiusmodi est e. g. editio Migne, nescio quo iure, passa est emendationem, substituto verbo indicativo). Quidquid ergo sit quod circa facti quaestionem latini erraverint, liquet tamen censuisse eos formam baptismi efferi quoque posse modo deprecativo seu imperativo, qui tamen imperativus modus, ut iam advertimus, in his adiunctis, ubi res a Deo causa principali agenda est, nequit reapse significare nisi deprecationem. Porro si forma baptismi potest ferri modo deprecativo, cur non poterit forma absolutionis? Haec est quidem actus iurisdictionis, sed iam vidimus talem actum forma quoque deprecativa repraesentari posse.

X. Nolumus praeterea, ad suadendum valorem formae absolutionis deprecativae, illud urgere quod spectat ad formam extremae unctionis. Sunt enim qui censeant eam penes graecos esse et olim in aliquibus latinis Ecclesiis fuisse indicativam. Quod quidem valeret contra eos, qui contententes formam absolutionis debere esse indicativam, simul monent quod e contrario forma extremae unctionis debet esse deprecativa, quia ab Apostolo Iacobo dicitur oratio: *et orent super eum*. Verum perperam Launoius (De Sacram. unctionis infirmorum) ad veteres rituales provocavit ut efficeret formam huius Sacramenti adhibitam a graecis et a quibusdam latinis ecclesiis indicativam esse. Nam in ritualibus graecis haec forma occurrit: ungo caput tuum (oculos, nares etc.) oleo sanctificato in nomine Patris, Filii et Spiritus S. ut more militis uncti praeparatus ad luctam possis aereas superare catervas Per Dominum etc. » Cf. rituale graecum editum a Goario. Eadem vel prorsus similis occurrit in ritualibus latinis ante annum 860 atque etiam postea. Hic ritus in pluribus ecclesiis Galliarum perseveravit usque ad annum 1560 (cf. Marthene De Antiquis Eccl. ritibus L. I. c. 7.). Formam graecam testatur s. Bonaventura (in 4. D. 23. a. 1. q. 3.) usurpata fuisse in ecclesia mediolanensi, secus ac in romana, ex qua Ecclesia a Bonaventura ea forma refertur, quae et nunc usurpatur. Illam vero formam graecam vocat Bonaventura formam indicativam, eamque negat esse de necessitate sacramenti, sed tantum de congruitate.

Nihilominus si res accurate perpendatur, manifestum est formam quoque graecam esse deprecativam, sive esse veram orationem, ut vult Iacobus. Non enim indicativa dici debet eo quod indicativo modo effertur actus unctionis: *ungo te*: cui aequivalent verba latina: *per istam unctionem*; nam hic actus distinguendus est ab oratione (et orent super eum ungentes eum) sed spectanda sunt verba sequentia, quae veram orationis formam continent. Et de his satis.

XI. Quid ergo in nostra quaestione dicendum? Nos rem in medio relinquimus, quamvis, ut quod est fateamur, verisimilior nobis appareat sententia affirmans sufficientiam per se formae deprecativae. Cf. cl. Hurter Tr. cit. n. 563.

THESIS XIII.

(Suppl. q. ix. a. 3.)

Tum ex Sacramenti divina institutione, tum ex Ecclesiae continua praxi atque Apostolicae Sedis decreto constat nullam esse absolutionem Sacramentalem, quae in absentem feratur.

I. Videri posset valere per se absolutio in absentem quoque lata. Quid enim prohibet? an quia est Sacramentalis? at Sacramentum Matrimonii inter absentes quoque perfici potest: an quia est sententia iudicialis? at haec et in absentem ferri potest: quemadmodum et sententia excommunicationis et absolutionis ab ea. Nihilominus certum est ipsa institutione Sacramenti absolutionem in praesentem ferri oportere. Supponendum est enim primo formam Sacramenti *in verbis* consistere *ore prolatis*. Hoc enim proprium est ex doctrina catholica omnium Sacramentorum, excepto quidem Matrimonio, quod etiam nutibus aliisque signis perfici potest; cuius tamen exceptio non obstat doctrinae traditae. Nam, ut advertunt Theologi, matrimonium est contractus humanus, quem Christus reliquit in eodem prorsus statu, nec immutavit eius naturam quando illum ad dignitatem Sacramenti elevavit. At cetera Sacramenta sunt positivae Christi institutionis, cuius essentialiter ritus Christus instituit, quos vel ex Scriptura vel ex Traditione novimus. Scimus autem ex universa Traditione formam ceterorum Sacramentorum in verbis ore prolatis essentialiter consistere. Et ad Sacramentum Poenitentiae quod spectat id liquet tum ex usu positivo, omnes enim Poenitentiales libri exhibent ministrum *dicentem*, eundem usum repraesentant Patres, cum de exercitio potestatis clavium loquuntur; tum liquet ex Decreto Eugenii IV ad Armenos. « Forma huius Sacramenti sunt *verba absolutionis, quae Sacerdos pro-*